

17. 16

DISSERTATIO HISTORICO - THEOLOGICO-
SYMBOLICA

DE

CORPORE DOCTRINAE
IN IDEA
HOHENLOHICO

QVAM

PRAESIDE

IACOBO WILHELMO
FEVERLINO

S. THEOL. D. ET PROF. PRIM.

IN

GEORGIA AVGVSTA


A. MDCCCLIV. D. VI. APRILIS

DEFENDET

AVCTOR RESPONDENS

CHRISTOPHORVS FRIDERICVS MEISTER

ELPERSHEMIO - HOHENLOHICVS.



GOTTINGAE

LITTERIS IOA. CHRISTOPH. LVDOLPH. SCHVLTZII AC. TYP.

117

DEPTO TO...
CORPORE DOCTINAE
IN HERR
HONORABILISSIMO

JACOBO WILHELMO
TEVENSINO
GEOGRAPHIA

CHRISTOPHUS ERNDTUS MERTENS
C. T. P.

ILLVSTRISSIMO ET CELSISSIMO
S. ROM. IMP. COMITI AC DOMINO

DOMINO

CAROLO
LVDOVICO

COMITI AB HOHENLOH
ET GLEICHEN
DYNASTAE IN LANGENBURG
ET CRANICHPELD

REL.

DOMINO SVO CLEMENTISSIMO

RATIONEM STUDIORVM SVORVM ACADE-
MICORVM HUMILLIME REDDITVRVS,
FORTVNATVM REGIMEN, CONTINVATIO-
NEM VEGETAE SENECTVTIS AD NESTO-
RIS VSQVE ANNOS, ET OMNIS FELICITATIS
GENVS DEVOTISSIME APPRECATVS,
SE SVAMQVE DISSERTATIONEM SVBMISISSIME

D. D. D.

humillime Obsequiosissimus

CHRIST. FRID. MEISTER.



SECTIO I. GENERALIS

DE

CORPORIBVS DOCTRINAE IN IDEA.

§. I.

Corporis Doctrinae significatus vsitator.

Corporis doctrinae nomine intelligere in Ecclesia nostra solemus collectionem aliquam librorum symbolicorum typis exscriptam: tales sunt Corpus Philippicum, Pomeranicum, Prutenicum, Thuringicum, Wilhelminum, Iulium, de quibus aliisque simillimis collectionibus, nomine tamen corporis doctrinae non insignitis, agunt I. A. SCHMIDIUS in Programmate

A

mate

mate de corporibus doctrinae, Philippico, Pomeranico, Prutenico, Thuringico, Iulio, Helmstadii a. 1706. in 4. primum excuso, & recuso in Celeb. Tubingensium Cancellarii PFAFFII *Introductione in Historiam Theologiae literariam* Part. I. p. 233. sqq. atque Celeberrimus BAVMGARTEN in dem *Anhange der Erläuterungen der im Christl. Concordienbuch enthaltenen Symbol. Schriften* p. 248. sq. cum quibus conferri potest Venerandi Praesidis *Bibliotheca Symbolica Evangelica Lutherana* ab initio.

§. II.

Corpus doctrinae primum Philippicum.

Prima huius generis collectio est Philippica, cuius prima editio in Inscriptione haec potissimum habet verba: *Corpus doctrinae christianae, das ist: Ganze Summa der rechten waren Christlichen Lehre des Heil. Evangelii in etliche Büchern verfasst, durch den Ehrnwürdigen Herren Philippum Melanthonem Leipzig 1560. fol. Praefatio ab ipso Melanchthone a. 1559. d. 29. Sept. scripta est. Complectitur autem haec collectio post tria Symbola Oecumenica, Augustanam confessionem ex editionibus valde amplificatis Witebergensibus annorum 1533 & 1540. Apologiam Aug. Confessionis; Repetitionem Aug. Confessionis, Philippi Melanchthonis locos Theologicos cum dedicatione auctoris ad uxorem Ioach. Camerarii; Eiusdem Philippi Examen ordinandorum & Responsum ad articulos Bavaricos cum refutatio-*

RC

ne Serueti. Primam hanc eamque Germanicam editionem eodem anno, in eadem ciuitate, eademque forma sequebatur Latina eiusdem Corporis editio, cuius Praefationem Melanchthon a. 1560. d. 16. Febr. scripserat, quoad contenta priori editioni simillima, nisi quod Confessionem Augustanam ex editione admodum variata & corrupta anni 1542. 8. repetit, & Refutationi Serueti Responfionem de controuersia Stancari subiungit Auctorem huius collectionis quamuis nonnulli CASP. PEVCE-
RVM fuisse putauerint, vid. S. R. D. WALCHII *Introductio in libros Ecclesiae Lutheranae Symbolicos* p. 80. & Programma Schmidianum supra laudatum in *Pfaffiana Hist. Theol. lit.* p. 235. non non alium tamen fuisse, & quoad collectionem ipsam & quoad titulum Corporis Doctrinae, quam M. Ernestum Voegelinum doctum Typographum Lipsiensem Crypto-Caluinianum ex propria ipsius confessione patet, quam cum de Exegesi in inquisitione esset, Lipsiae a. 1574. ipse conscripserat, atque ex his eiusdem verbis in B. LOESCHERI *Historia Motuum* Part. III. p. 197. repetitis: *Gleichwie ich vor 14. Jahren hab das Corpus Doctrinae Philippi Melanchtonis auch angegeben, also zusammen getragen, wie es dann izt beysammen ist, und den Titul des Buchs Corporis doctrinae selber gemacht, und darnach durch die Herrn des Consistorii allhier hab lassen bey meinem gnädigen Hn. den Churfürsten zu Sachsen antragen, dass es in die Kirchen ist genommen worden, Einigkeit in dieser Landen Schulen und Kirchen neben der reinen Lehre zu erhalten.*



§. III.

Corporis doctrinae significatus varior. I.

Praeter hunc frequentiore[m] vsum etiam aliam esse vocis *Corporis doctrinae* significationem, minus frequentem, docet systema illud Theologicum e puris S. S. dictis compositum, cui hic est titulus: ΣΥΝΤΑΓΜΑ seu *Corpus doctrinae veri et omnipotentis Dei, ex Veteri Testamento tantum, methodica ratione, singulari studio, fide et diligentia collectum, dispositum & concinnatum* per IOHANNEM WIGANDVM & MATTHAËVM IVDICEM, cuius altera pars eundem gerit titulum, nisi quod ex nouo Testamento tantum concinnata dicitur; vtriusque autem Corporis recognita editio Basileae in officina Oporiniana a. 1575 in 4. mai. excusa est. Huc etiam referri possunt duo libelli Catechetici eorundem auctorum, WIGANDI *Epitome siue Corpusculum doctrinae Sanctae, pro Ecclesijs & Scholis in Episcopatu Pomezaniensi*, & IVDICIS *kleines Corpus doctrinae, de quibus consuli potest GREG. LANGEMACK in Historia Catechetica, de Wigandiano Part. II. p. 518. de Iudiciano P. III. p. 39.* Ex his enim libris atque libellis cognoscimus, nomine Corporum doctrinae quandoque et rarius intelligi singula et priuata scripta, cum in vlu frequentiori publica & Symbolica scripta significet.

§ IV.

§. IV.

Corporis doctrinae significatus rarior II.

Noua autem ambiguitas in eadem voce obseruatur, etiam quando publica & Symbolica Scripta designat: etenim quandoque etiam singula quaedam Scripta eo quod plures articulos fidei comprehendunt, Corpora, doctrinae appellantur. Exemplum praebet *Repetitio Corporis doctrinae Ecclesiasticae*, quo titulo Corpus Prutenicum Regiomont. a. 1567. in fol. min. editum insignitur: cum vero & tota haec collectio (quae primo loco Scriptum aliquot particulare erroribus quibusdam recentioribus oppositum, deinde Augustanam Confessionem, eiusdem Apologiam & Articulos Smalcaldicos complectitur) & sola prima eiusdem pars (seorsim etiam sub hoc titulo excusa vid. VENERANDI FEVERLINI *Bibliotheca Symbolica* num. 1104. 1105.) *Repetitio Corporis doctrinae* appelletur, quaestio hinc oriebatur, quodnam fuerit prius illud corpus doctrinae Prutenicum, quod repeti hic dicitur; in eius quaestione inuestigatione & decisione cum multum sudasset Vir in Historia Prussiae versatissimus CHRISTOPH. HARTKNOCHIVS tandem inuenit, atque in *Preussischer Kirchen-Historie* p. 427. *sqq.* docuit, in voce Corporis doctrinae esse ambiguitatem, atque eandem quandoque explicari debere de Scripto aliquo Symbolico, de Confessione, de Ordinatione Ecclesiastica eiusque parte doctrinali; Siquidem nonnisi talia Scripta Symbolica, nullam autem collectionem plurium Scriptorum Symbolicorum,

ante hanc Repetitionem in Prussia reperire poterat, singulā autem illa Scripta quandoque nomine Corporum doctrinae allegari obseruauerat.

§. V.

*Corporis doctrinae significatus variior III.
Corpus in Idea.*

Verum hac obseruatione nondum sibi satisfecit HARTKNOCHIVS; aduertit enim p. 429. ad Corpus illud doctrinae, quod repeti hic dicitur, referri Augustanam Confessionem, Apologiam & Smalcaldicos articulos, aliaque Scripta: hinc ergo, quod Hartknochius obscuriuscule facit, clarius & distinctius elicio nouam hanc significationem vocis Corporis doctrinae, etiam de Collectione plurium librorum Symbolicorum acceptae, qua collectionem non. typis excusam, sed verbis tantum indicatam denotat, quam CORPVS DOCTRINAE IN IDEA appellare licebit, vt a Corporibus Doctrinae impressis, vel Collectionibus librorum Symbolicorum iunctim excusorum, discernatur. Tale enim Corpus doctrinae intelligitur in verbis Ducis Alberti ex Praefatione *Repetitionis* saepius laudatae ab Hartknochio repetitis: *In illa itaque Synodo consentientibus omnibus suffragiis definitum & decretum est, constanter & sine vacillatione amplectendum & retinendum esse Illud Corpus doctrinae, quod ex Scripturis Prophetis & Apostolicis in Confessione Augustana, Apologia & Smalcaldicis articulis*

lis

lis comprehensum est, in eo sensu, sicut in Scriptis Lutheri & Verbo Dei declarationes traditae sunt.

§. VI.

Corpus in Idea Iulium.

Tale Corpus doctrinae in idea etiam illud est; quod Serenissimus quondam Dux Brunsvicensium & Luneburgensium IULIVS per Martinum Chemnitium in Praefatione *Brevis Simplicisque Declarationis* (praemissae Ordinationi Ecclesiasticae Guelferbyti a. 1569. 4. editae & deinde ipsi corpori doctrinae Iulio) ita descripsit, ut ad id pertineant Scriptura S. Tria Symbola Oecumenica, Confessio Augustana, eiusque Apologia, Articuli Schmalcaldici, Lutheri Catechismi aliaque scripta: haec enim neque iuncta vnquam fuerunt, neque jungentur in vno volumine impresso. Tali etiam corpori doctrinae, sub finem Ordinationis Ecclesiasticae, & antequam existeret Corpus doctrinae Iulium a. 1576. demum excusum, subscribere a. 1575 iuebantur Theologi Sapientissimi Ducis IULII hac praescripta formula: *In hanc Illustrissimi Principis Nostri Sententiam ego N. N. huic corpori doctrinae & Declarationi in thesi & antithesi corde & manu volens & praemeditate subscribo.*

§. VII.

Corpora in idea Austriacum & Norimbergense.

Neque aliud quam eiusmodi Corpus doctrinae in idea erat Norma illa doctrinae christianae Theologorum Euangelico-

lico-

licorum Austriacorum, quae, vt refert B. BERNH. RAUPACH in der dritten Fortsetzung des erläuterten Evangelischen Oesterreichs p. 21. complectebatur Scripturam S. Tria Symbola Oecumenica, non variatam Augustanam Confessionem & eiusdem Apologiam, Smalcaldicos articulos, & Lutheri Catechismum maiorem & minorem, atque alia eiusdem scripta. Tale etiam erat Corpus Doctrinae Marchico-Norimbergense, quod B. GUST. GE. ZELTNERVS in diff. historica de Maur. Helingi Vita Placitis & Studiis p. 62. sqq. describit, complexum esse praeter Symbola Oecumenica, Confessionem Augustanam & Apologiam non variatas, Philippi Melanchtonis Repetitionem Aug. Confessionis, Locos communes Examen Theol. Responsionem ad Articulos Bauaricos, & de Controuersia Stancari, Lutheri Catechismos & Articulos Smalcaldicos, atque Ordinationem Ecclesiasticam Marchico-Norimbergensem, cui ex Decreto Ill. Senatus Norimbergensis a. 1573. omnes Ecclesiarum Norib. ministri subscripserunt, quamuis nondum tunc fuerit edita Collectio illa librorum Symbolicorum Norimbergensium eiusdem ferme tenoris, quae sub tit. *Dodecadis Scriptorum Theologorum* a. 1646. primum excudebatur: qua etiam de caussa Zeltnerus p. 63. scribit, *omnia illa Scripta in vnum veluti fasciculum a. 1573. compacta fuisse. conf. Versuch einer Historie derer Nurnbergischen Librorum Normalium* (cuius Auctor sine dubio est Maxime Reuerendus CAR. CHRIST. HIRSCHIVS Diaconus Laurentianus Norib. Vir in Historia Patriae Eccles. & litteraria versatissimus) in Actis Hist. Ecclesiasticis Vol. XI. p. 409. sqq.

SECTIO

SECTIO II. SPECIALIS.

DE
CORPORE DOCTRINAE IN IDEA HOHEN-
LOHICO.

§. VIII.

De Ordinationibus Eccles. Hohenlohicis.

Inter haec Corpora Doctrinae in idea locum etiam habet Cor-
pus Doctrinae Hohenlohicum: nunquam enim arte typo-
graphica exscriptum prodiit volumen aliquod hoc titulo infi-
gnitum, quod singula scripta in Comitatus Hohenlohicis
auctoritatem symbolicam habentia complecteretur, sed cata-
logo tantum & enumerationi singulorum subscribere iubentur
Pastores ecclesiarum euangelicarum Augustanae Confessioni non
variatae addictarum in aulis, urbibus atque pagis SERENISSI-
MORVM PRINCIPVM ATQVE ILLVSTRISSIMORVM ET
CELISSIMORVM COMITVM HOHENLOHICORVM. Cum
vero catalogus iste, atque hoc corpus doctrinae in idea in Ordi-
nationibus ecclesiasticis Hohenlohicis describatur atque deli-
neetur, de his in antecessum obseruare oportet, post primam
Ordinationem a. 1553. manuscriptis tantum exemplis aliquamdiu
conseruatam, primam typis, & quidem Norimbergensium Ty-
pographorum, excusam prodiisse Ordinationem eccles. Ho-
henlohicam a. 1578. in 4. quam a. 1688. in 4. secuta est Oehrin-
gensis editio, cuius hic est titulus. *Kirchenordnung wie es mit
der Lehre und Ceremonien in der löblichen Grafschaft Hohenlo-*

B

be

he soll gehalten werden. Von neuem wieder gedruckt, im Jahr Christi 1688. Hanc ipsam vero Ordinationem ecclesiasticam auctoritate omnium Imperantium in comitatu hoc, etiam illorum qui Romanae Ecclesiae addicti erant, approbatam & publicatam esse, tanquam constitutionem prouincialem ecclesiasticam totius Comitatus communem, & vi prologi in vim pacti perpetui Domus Hohenlohicae valituram: quae omnia copiosius exponit, & ex genuinis documentis comprobat Vir maxime reuerendus & celeberrimus IOH. CHRISTIAN. WIBEL in acuratissime scripta *Hohenlobischer Kirchen- und Reformationen-Historie* Part. I. p. 602. seqq.

§. IX.

Corpus doctrinae Ideale Hohenlobicum recensetur.

In his Ordinationibus ecclesiasticis impressis duplex indicatur librorum symbolicorum Hohenlohicorum catalogus, alter in editione 1578. alter in editione a. 1688. qui a priore per solum additionem Formulae Concordiae distinguitur, adeoque plenior illo est, & hodiernum auctoritatem suam symbolicam in Ecclesiis Euangelicis Hohenlohicis tuetur: hunc ergo solum ex Ordinationis posterioris p. 3. & 4. hic repetere, & de quibusdam eius partibus obseruationes quasdam subiungere iu-
 vabit:

„ Dem-

„ Demnach, damit dieses alles desto stattlicher und be-
 „ ser durch Gottes Hülff geschehen möge, bekennen sich die-
 „ ser Graffschafft Kirchen zu nachfolgenden Schriften und Bü-
 „ chern, als, darinnen die ewige und unwandelbahre, göttli-
 „ che Warheit, in allen und ieden Stücken unserer wahrhaff-
 „ ten, christlichen Religion, begriffen und erklärt ist: sollen
 „ auch dieselben, beydes Lehrer und Zuhörer, *PRO CORPO-*
 „ *RE DOCTRINAE* affirmatiue und negatiue halten, Nemb-
 „ lichen:

„ I. Die Schriften der Heiligen Propheten und Apostel
 „ altes und neues Testaments als die einige Normam iudicii in
 „ allen Controuersis.

„ II Die drey alten Symbola, als Apostolicum, Nicenum,
 „ und Athanasii.

„ III. Die Augspurgische Confession, wie sie anno 1530.
 „ Kayser Carolo V. zu Augspurg auf dem Reichstag, von den
 „ Protestirenden Reichs-Ständen ist überantwortet worden.

„ IV. Derselben Apologiam wie sie damahls auch gestellt,
 „ und überantwortet worden ist.

„ V. Die Schmalkaldische Artikel, die Doctor MARTINVS
 „ LVTHER, in Versammlung einer grossen Anzahl der fürtreff-
 „ lichsten Theologen unserer Kirchen Anno 1537. gestellet hat.

„ VI. Die zween Catechismos LVTHERI, grossen und
 „ kleinen.

„ VII. Die Formul: Concord. anno 1580. herausgegeben
 „ und unterschrieben.



„VIII. Die Repetition der Augspurgischen Confession,
 „welche der Churfürst von Sachsen, auch andere Fürsten und
 „Ständ, als eine generalem confessionem, dem Concilio zu
 „Trient zu überantworten, stellen lassen.

„IX. Die Locos communes theologicos Philippi Melanch-
 „tonis, die am lezten vor LVTHERI seligen Abschied gedruckt,
 „und von Luthero selbst hoch commendirt und gerühmet
 „worden sind, als in Praefat. I. Tomi Latini operum Lutheri Ie-
 „nensium zu sehen ist.

„X. Und dann leztlichen, diese Hohenlohische gegen-
 „wärtige Kirchen-Ordnung.

§. X.

Observationes de parte I. Scriptura S.

Quod primum locum in hoc corpore doctrinae habet
 Scriptura S. atque haec simpliciter dicitur vnica Norma Iudi-
 cii in omnibus controuersis, in eo prorsus consentit cum For-
 mula Concordiae, aliisque Ecclesiarum nostrarum libris sym-
 bolicis, horumque collectionibus, atque sic penitus confutat
 calumniam hostium nostrorum librorum symbolicorum, quasi
 hos Scripturae S. aequipararemus, vel anteferremus. Ne-
 que obstat, quod reliquis etiam partibus corporis doctrinae
 vt normis vtimur, eosque libros normales saepius appellamus;
 siquidem non nisi normas *secundarias & normatas decisionis pau-*
carum controuersiarum, atque tum demum, postquam *insti-*

tuto

tuto examine cum Scriptura S. exacte conuenire deprehendimus, itemque normas non fidei, sed *doctrinae publicae* esse libros symbolicos existimamus, vid. IO. BENED. CARPZOVII *Isagoge in libros Ecclesiarum Lutheranarum symbolicos in notis ad proemia Formulae concordiae* p. m. 1143. sq. Diligentissime autem normas has secundarias doctrinae publicae in Germania conseruandas esse, vel inde cognoscimus, quod Pacificationes religiosae Noribergensis, Augustana & Westphalica, libros nostros symbolicos respiciunt, atque his additas ecclesias vnice tuentur. Luculentum etiam discrimen inter Scripturam S. & libros symbolicos in eo facimus, quod libris *ἱερωτικῶν* quoad omnia, quae docet, etiam quoad minimas circumstantias historicas, fidem profunda cum reuerentia adhibemus, in libris autem symbolicis primaria a secundariis, doctrinam ipsam a circumstantiis modoque tractandi ac defendendi, vocem ecclesiae ab interspersa mera doctorum voce solite discernimus v. B. VAL. ERN. LOESCHERI *Statera Articulorum fidei in appendice Stromateos* p. 62. & B. GOTTL. WERNSDORFII *Diss. de auctoritate librorum symbolicorum cum augmentis subiuncta commentationi ipsius de Indifferentismo Religionum* p. 245. sq. Nimirum primaria nobis sunt dogmata vera, reiectio errorum in abstracto (e.g. Flacianismi, vbi dubitari adhuc potest, an Flacius tam male senserit quam locutus erat) & prohibitio vel praescriptio phrasium quarundam atque terminorum: secundaria autem sunt argumenta explicantia (exceptis tamen illis, quae sensum dogmatum declarant) probantia, & in his exegetica, illustrantia,

tia, inter quae sunt historica, & defendentia ac disputantia. Primariis simpliciter mente manuque subscribimus, non quatenus sed quia cum Scriptura S. consentire cognouimus (etenim etiam Alcorano subscribere possumus quatenus cum Scriptura S. consentit) vid. B. VAL. ALBERTI *Diss. de praestando categorice in libros symbolicos iuramento Lips. a. 1690.* & deinde etiam saepius alibi excusa; in secundariis autem, quamuis *παρορματα* praeter meritum & temere non statuamus vid. WERNSDORFII *lib. cit. p. 426.* aliqua tamen statuimus, & quamuis non mordicus defendamus, ex temporum tamen rationibus cum LOESCHERO solide excusamus. Sufficit etiam pro fine, quem summi Imperantes atque Ecclesiae per libros symbolicos intendunt, atque intendere debent, nimirum pro conseruatione & propagatione purae doctrinae euangelicae, quod primariae illae partes auctoritatem symbolicam retinent; in secundariis autem *παρορματων* quorundam non temeraria sed modesta & solida correctio ex augmentis recentioribus studiorum exegeticorum, philosophicorum, historicorum & criticorum, tantum abest, vt fini illi contrarietur, vt potius eidem egregie profit.

§. XI.

Observationes de Part. III. Aug. Confessione germanica.

Augustana Confessio illa tantum inter libros symbolicos Hohenlohicos refertur, quae in Comitiiis Augustanis a. 1530.

Im-

Imperatori Carolo V. a Statibus imperii protestantibus exhibita fuit, quo ipso excluduntur omnes variatae eiusdem Confessionis editiones. - De vtraque & non variata & variata Confessione Augustana indicandum existimo, certissime genuinum eiusdem apographon ex autographo Archiui Moguntini esse in libro concordiae, vid. B. ERN. SAL. CYPRIANI *Historia der Augspurgischen Confession*, cap. X. primam autem editionem huius autographi esse G. E. CELESTINI *Erste ungeenderte, rechte, wahre Aug. Confession*, Francof. ad Viadr. a. 1569. 4. saepius deinde reculam; insertum deinde etiam esse genuinum apographon *Corpori doctrinae Brandenburgico & COELESTINI* atque DAV. CHYTRAEI *Historiis Aug. Confessionis* vid. REV. PRAESIDIS *Bibliotheca symbolica* p. 70. De variatis autem editionibus Confessionis germanicae, quae tamen a corruptellis latinarum quarundam editionum immunes sunt, memorabile est, praeter primas editiones anni 1530. e MStis exemplis ante exhibitionem subinde mutatis excusas (de quibus vid. CARL. FRID. KRAFFTII Viri Cl. Praefide VEN. FEVERLINO a. 1741. disputata *Diss. de Conf. Aug. eodem quo exhibita fuit anno 1530. septies impressa*, cuius translatio germanica cum augmentis a Symbolophilo quodam doctissimo propediem curabitur) primas post Comitia illa Augustana editiones Witebergenses a. 1531. in 4. & 8. iam esse in paucis mutatas, quas tamen editiones Corpora Wilhelminum, Iulium, & Norimbergense inter suos libros symbolicos receperunt. Maiorem autem variationem, atque quoad multos articulos, magnam amplificationem

nem

nem, & nouam quasi elaborationem reperiri in editionibus Witebergenfibus 1533. & 1540. paucisque aliis, in solo corpore Philippico (quod iam supra §. II. indicaui) repetitis. Vt characterem aliquem addam, ex quo prorsus non variata editio ab editionibus, post comitia vel parum vel valde variatis primo statim intuitu discerni possit, inspici primum velim initium Articuli I. quod in non variatis editionibus tale est: *Erstlich vvir d eintrechtiglich gelehret, und gehalten*, cum in editionibus variatis legamus: *Erstlich lehren und halten wir*, quae mutatio quamuis in dogmatibus nihil mutet, incongrua tamen est, quia non Theologi, sed Principes et Status protestantes subscripserunt: in fine autem editiones non variatae non nisi septem nomina Statuum Imperii protestantium sub-signata exhibent, variatae autem editiones nomina nouem, & in his nomina Ioh. Friderici Ducis Saxoniae, & Francisci Ducis Luneburgensis Principum non regentium habere solent.

§. XII.

Observationes de Aug. Confessione latina.

Quod attinet ad latinam Augustanam Confessionem, admodum accuratam eius editionem habemus Witebergensem a. 1531. in 4. eo quod Praefatio eius, cuius auctor sine dubio est PHIL. MELANCHTHON, certiores nos reddit, *ex exemplari bonae fidei & auctoritate principum probe & diligenter hic descriptam esse confessionem, cui argumento haud leue pondus*
acce-

accedit ex silentio WILH. LINDANI Ruremundensis Episcopi hostis librorum symbolicorum nostrorum acerrimi, qui cum in *Concordia discorde* p. 156. referat, se editionem Witebergensem a. 1531. (cuius anni utramque editionem in 4. & 8. se possidere p. 301. profiterur) cum IOACH. HOPPERO diligenter contulisse cum autographo latinae Conf. Aug. propriis Electorum & caeterorum Principum Protestantium manibus variis subscripto, quod ex archiuo Bruxellensi communicauerat VIGLIUS ZWICHEMVS (qui etiam in Epistolis Leoardiae a. 1661. 8. editis p. 145. scribit: *originalem confessionem augustanam a. clō lō xxx. Caesari oblatam custodiae suae ac Archivo traditam dignam omnino esse ut seruetur, quo haeretici qui postea multa ei asperserunt, malitiae suae conuincantur*) sane non siluisset, si vel vnam aliquam notatu dignam discrepantiam offendisset, nihil autem carpit, nisi discrepantiam Latinae & Germanicae Conf. Aug. falso persuasus alteram alterius exactam debuisse esse translationem, & verba germanica: *unter der Gestalt des Brods und Weins* indicia esse transsubstantiationis a nostratibus tunc adhuc assertae. Haec prorsus genuina latina Confessio reperitur in omnibus editionibus latinis libri concordiae ab a. 1584. excusis, in corpore doctrinae Norimbergensi, in peculiaribus editionibus solius Aug. Confessionis I. M. DILHERRI, aliorumque. Variatas editiones Latinas habemus primum illam, quae a. 1530. e MSto ante exhibitionem impressa est (de qua v. diff. KRAFFTIANA §. antec. audata) deinde in paucis mutatam, quae Witebergae a. 1531. in

C

in 8. prodierat, et primae editioni latinae libri concordiae Lip-
 fiensi a. 1580. in 4. inserta erat errore, quem editio iterata Lip-
 fiensis a. 1584. in 4. correxit, & in postfatione confessa est; de-
 nique valde variatam, amplificatam & in gratiam Zwingliano-
 rum & Synergisticorum dogmatum corruptam, quae Witeb.
 a. 1540. in 4. & cum nouis variationibus a. 1542. in 8. |prodiit,
 Corpori Philippico deinde inserta, saepius etiam seorsim recu-
 sa, quae tunc sola intelligi solet, quando ab addictis Aug. Con-
 fessionem variatae, addicti confessioni inuariatae vel non- varia-
 tae distinguuntur. Character aliquis est in verbis praefationis
 mox ab initio, quae in editione accuratissima dicunt, *hanc*
confessionem ab avaro aliquo typographo ANTE DVOS MEN-
SES publicatam, in editionibus autem vel parum variatis, vel
 admodum variatis atque corruptis, ANTE SEMESTRE CON-
 fessionem ab avaro typographo publicatam indicant. Satis au-
 tem mirari non possumus PHIL. MELANCHTHONIS, Viri de
 re litteraria, & dum LVTHERVS viueret etiam sacra, immor-
 talibus meritis conspicui, imprudentiam & impudentiam,
 qua confessionem fidei, in ipsa inscriptione Caesari in comitiis
 exhibitam appellare, & nihil ominis priuato ausu toties & in
 tantum immutare ausus erat.

§. XIII.

Observ. de Parte IV. Apologia breuiori Aug. Confessionis.

Singulare prorsus est, quod ad Corpus doctrinae Hohen-
 lohicum refertur quarto loco Apologia Augustanae Confessio-
 nis

nis illa, quae in Comitibus ipsis Augustanis conscripta & Caesari exhibita erat, adeoque breuior, non autem proluxior altera, a Melanchthone Witebergae elaborata, quae tamen sola in reliquis Corporibus Doctrinae omnibus locum obtinuit. Vtitur hic Ecclesia Hohenlohica suo iure, nec improbari potest praerogatiua, quam breuiori illi Apologiae tribuit. Quamuis enim proluxior Apologia praefenda videatur breuiori his de causis, quod illa post impetratum Confutationis Pontificiorum, cui opponenda erat, apographon, domi cum spacio deliberandi & meditandi, a Philippo elaborata (vid. *Praefatio huius Apologiae*) grauissimos fidei articulos copiose atque solide exponit (vid. C. A. SALIGII *vollständige Historie der Augspurgischen Confession*. Part. I. p. 375.) ideoque a plerisque Ecclesiis Euangelicis in sua doctrinae corpora recepta est; breuior autem haec Apologia nondum impetrato confutationis Apographo, solis momentis eiusdem in memoria vel pugillaribus Nostratum conseruatis, in ipsis adhuc Comitibus, festinante calamo, exiguo temporis spacio, opposita, ideoque in fine excusata est: haec ipsa tamen praerogatiuam aliquam meretur, eo quod ab initio publicam auctoritatem habuit, a Statibus mandata, consilio plurium Theologorum conscripta, atque in Comitibus illis celebratissimis Caesari oblata, quamuis ab Ipso non recepta fuit, (v. CHYTRAEI *Latina Augustanae Confessionis Historia* p. 332.) & quod caret non paucis nec leuibus illis difficultatibus, quas Philippus Latinae suae apologiae, sibi etiam soli in praefatione vindicatae, intersperfit, quas B. LOESCHERVS l.


c. p. 64. sqq. maximam partem recenset, & tanquam respon-
siones κατ' ἀνθρωπον excusat, atque a voce Ecclesiae secernit,
quosque IVSTVS IONAS in sua translatione liberiori in idioma
Germanicum (quae sola primum in pleraque Corpora doctri-
nae recipiebatur) plerasque omnes vel omittit vel mutat. Ea-
dem igitur libertate, qua aliae Ecclesiae Euangelicae suas li-
brorum Symbolicorum collectiones ab aliis distinctas institue-
runt, Hohenlohica Ecclesia in recipienda Apologia A. C. bre-
viori est vsa, neque in eo quicquam derogavit consensui in
doctrina cum aliis Ecclesiis Euangelicis, cuius declaratio &
conseruatio finibus librorum Symbolicorum annumerari solet;
siquidem in Apologia prolixiori ne vnicum quidem est Dogma
ad primarias librorum Symbolicorum partes pertinens, quod
non vel in Augustana Confessione, vel in breuiori Apologia,
vel in Formula concordiae iam comprehendatur, totum autem
discrimen illius Apologiae argumentis explicantibus, illustan-
tibus, probantibus, defendentibus, adeoque secundariis,
absoluitur, quorum omiffio fidei consonantiam non tollit. V-
nicum autem hic est dolendum, quod in editionibus breuio-
ris huius Apologiae summa est raritas, per quam non potest
non saepius contingere, vt Corpori huic, simulque huic A-
pologiae fidem suam obstringant nouitii Pastores, qui oculis
suis nunquam eam viderant neque videre poterant: tanta enim
est harum editionum raritas, vt magnum Polyhistorem B. I. A.
FABRICIVM penitus latuerit, Ipseque in *Centifolio Lutherano* p.
127. duas Augustanae Confessionis Apologias inter se confude-
rit

rit, opinatus, Apologiam Caesari a. 1530. oblatam illam ipsam esse, quae Lutheri & Philippi Operibus, & libris Ecclesiarum nostrarum Symbolicis saepissime est inserta; neque plures quam has indicare possum editiones Apologiae breuioris Caesari a 1530. oblatae antiquiores: Germanicam editae a COELESTINO Primae, non variatae, genuinae, verae Confessionis Augustanae sub tit. *Die Erste, Rechte, Ware Apologia aus Philippi und der Zeit anwesenden Theologen Correctur und Hand treulich abgeschrieben* subiunctam, cuius quatuor editiones a. 1569. 1577. 1597. 1603. in 4. indicauit VENER. PRAESES in *Bibliotheca Symbolica* p. 70. sq. Latinam in CHYTRAEI *Latina Historia Aug. Conf.* p. 335. sqq. Gallicam in translatione huius Historiae Chytraeanae per *Lucam le Cop.* facta p. 296. sqq. Sustulit tamen hanc raritatem Celeberrimus PEAFFIVS, dum suae *Concordiae Latinae editioni* sub tit. *Ecclesiae Evangelicae Librorum Symbolicorum Tubingae* a. 1730. in 8. publicatae eandem in Appendice p. 94. sqq. subiunxit. Digna autem esset breuior haec Apologia, quae maxime in usum Ecclesiarum Hohenlohicarum, recudatur, vel seorsim, vel cum reliquis harum Ecclesiarum libris Symbolicis, qua postrema ratione e Corpore doctrinae Hohenlohico idealiter fieret reale.

§. XIV.

Observ. de Partibus VIII. IX. Repetitione Aug. Conf. & Philippi Locis Theol.

Quae num. VIII. & IX. libris Symbolicis accensentur scripta
 PHIL. MELANCHTHONIS, *Repetitio Augustanae Confessionis, &*
Locis




Loci Communes Theologici, olim quidem Corpori Philippico inserta, hodie in nullo doctrinae Corpore, quod auctoritatem Symbolicam etiamnum tuetur, conspiciuntur, nisi in hoc Hohenlohico et in Norimbergensi. Repetitio Augustanae Confessionis, quae etiam Confessio Saxonica, melius, (vt a Confessione Saxonica Saxoniae inferioris Witebergensibus Crypto-Caluinistis a. 1571. opposita facilius distinguatur) Misnica dicitur, Concilio Tridentino exhibenda, sed non exhibita, nullis difficultatibus est obnoxia: est enim accurata Repetitio Augustanae Confessionis non variatae, a Theologis non tantum Saxonis Electoralibus, sed etiam Brandenburgicis, Pomeranicis, Mansfeldensibus, Argentoratensibus subsignata & approbata, pluribusque Editionibus merito repetita, quarum plerasque recenset VENER. PRAESES in *Bibliotheca Symbolica* p. 72. sqq. & p. 250. Locorum autem communium Theologorum receptio inter libros Symbolicos maximis obnoxia est dubiis. Quamuis enim primum sit doctrinae purioris Euangelicae instauratae Compendium ab ipso B. LUTHERO in Praefatione Operum suorum Latinorum ex Witebergensi Collectione prima a. 1545. inchoata in Ienenlem anni 1556. translata hoc encomio ornatum, quod *Theologus & Episcopus pulchre & abunde per id formari possit, vt sit potens in sermone doctrinae pietatis, & in libro de seruo arbitrio ad Erasmus Roterod. a. 1525. non solum immortalitate, sed canone quoque Ecclesiastico dignum habitum* (quod quidem posterius elogium ad solas primas Editiones Locorum Philippi pertinere manifestum est, sicuti prius elogium etiam in posteriores editiones

tio-

tiones quadrare, BALTH. MENCIO in *Testimoniis Phil. Mel. de doctrina Lutheri etc. & aliorum de locis eius Theologicis &c.* Seruestae a. 1586. in 8. editis Q. 6. operose id asserenti facile concesserim) ideo a B. MART. CHEMNITIO & LEONH. HVTTERO Theologis summis in *Locis Theologicis* tanquam prolixis Commentariis diligenter explicatum; negare tamen non possumus, Compendium hoc plurimis scaterere erroribus, & quidem talibus, quae non ad secundarias tantum partes sed etiam ad primarias ad ipsa dogmata pertinent, atque haec corrumpunt. Etenim Vir Generosissimus & Summe Reuerendus IAC. HENR. de BALTHASAR, Fautor in studio Symbolico per commercium literarium cum Praefide hucusque exculpto Ipsi coniunctissimus, ex integro libro de Melanchthonis Locis Theologicis, quem prelo paratum habet, in *der Historie des Torgischen Buchs* Parte I. p. 41. sq. (ubi innumeras ferme editiones & variationes Locorum Philippi Theologorum Latinorum ad tres classes reducit ab annis 1520. 1535. & 1543. inchoandas; & Germanicarum quoque versionum tres ordines constituit) in antecessum obseruat, XL. circiter errores crassissimos ab ipsis Philippi discipulis in hoc ipsius Compendio Theologico esse notatos, iisque saepius in Formula Concordiae refutationes esse oppositas. Quaeritur ergo, an bona cum conscientia pro Symbolicis haberi possint libri, quorum alter alteri e diametro repugnat? Non licet respondere, primam Locorum Philippi & editionum eorundem classem hic intelligi: siquidem nec illa quidem ab erroribus immunis est, atque e. g. in primo statim articulo, sub finem statuit:

Si



Si ad Praedestinationem referas humanam voluntatem, nec in externis, nec in internis operibus ullam esse libertatem, sed euenire omnia iuxta destinationem diuinam, quem errorem ferme Turco-Caluinisticum dixeris, quamuis immunes sint ab errore Semi-Pelagiano & Synergistico editionum posteriorum; deinde Ordinatio Ecclesiastica Hohenlohica expressis verbis Symbolicos declararat Locos Philippi Theologicos a Luthero a 1545. commendatos, quod elogium ad solas primas editiones restringi nequit. Rectius autem obseruabimus ex eo, quod Formula Concordiae inter libros Symbolicos Hohenlohicos numeratur, manifestum esse, in illis dogmatibus, quibus loci Theologici a Formula Concordiae recedunt & confutantur, omnem illis adimi auctoritatem Symbolicam, quam vero obtinent in reliquis adeoque plurisque dogmatibus omnibus, in quibus cum Formula Concordiae, Augustana Confessione non variata, reliquisque libris Symbolicis egregie consentiunt. Sub hac limitatione non tantum editionibus Locorum Philippi tertiae classis, quae ab anno 1543. initium ducit, quas nempe Lutherus vidisse & laudasse poterat, sed illis etiam editionibus, quas post B. Lutheri obitum in paucis mutauerat, maxime illis, quas morti proximus Corpori Philippico Latino & Germanico inseri permiserat Philippus, bona cum conscientia nomen dabit & fidem obstringet purioris Ecclesiae Theologus.

§. XV.

§. XV.

Obs. de Parte X. Ordinatione Eccles.

Quod ultimo loco ipsa Ordinatio Ecclesiastica Hohenlohica libris Symbolicis superadditur, id neque a rationibus grauis-
simis neque ab exemplis destituitur. Quod ad prius attinet,
cum Ministri Ecclesiarum Ordinationibus Ecclesiasticis tanquam
legibus parere debeant, quid obstat, quominus ad easdem sub-
scriptione eoque ipso accurati obsequii promissione semet de-
nuo obstringant? Locum haberet talis subsignatio in Ordina-
tionibus Ecclesiasticis nudis, siue stricte dictis, quae Agenda
etiam dicuntur, & solas caerimonias in templo obseruandas
Pastoribus praescribunt, siue latius ita dictis, quae etiam ad
alia iura circa sacra e. g. in vocatione Pastorum, aerario Eccle-
siastico pertinent; si vel maxime subscriptio ad sola credenda
restringeretur, & illi tantum libri subsignandi, stricte signi-
ficatione dicerentur Symbolici, qui Credenda complectuntur;
siquidem etiam agenda nuda subinde luculenta vestigia praeci-
puorum fidei articulorum e. g. de Trinitate, de Redemptore
Christo, de Peccato, de praesentia Corporis & Sanguinis Chri-
sti &c. vel in praescriptis precum publicarum formulis prae-
se ferunt: multo minus ergo incongrua videri potest subsigna-
tio Ordinationis Ecclesiasticae Hohenlohicae, quae praeter A-
genda etiam Catechismum minorem Lutheri, Quaestiones de
vsu Catechismi (a DAV. MEDERO Superint. Gener. scriptas) &

D

Ho-

Homilias Catecheticas ex Ordinatione Ecclesiastica Brandenburgica & Norimbergensi (quas idem Mederus in Praefatione *Quaestionum ex his Homiliis excerptarum* IOH. BRENTIO & ANDR. OSIANDRO adscribit, teste WIBELIO in laudata supra *Histor. Eccl. Hobent.* p. 606.) complectuntur. Nec desunt exempla subsignatarum etiam alibi Ordinationum Ecclesiasticarum: de Ordinatione Diui IULII Ducis quondam Brunsvicensis & Luneburgensis supra §. VI. id iam annotavi, quamvis diffiteri nequeam, formulam subsignationis a Duce IULIO praescriptam ad Corpus Doctrinae ideale (cui haec Ordinatio non annumeratur) & Declarationem esse restrictam. Similius exemplum praebet Patria REV. PRAESIDIS veneranda ILLUSTRIS Norimberga, cuius Corpori doctrinae, siue *Dodecadi Scriptorum Theologorum*, quae in recentissima editione titulum *Librorum Normalium Noribergensium* obtinuit, & in hoc Ordinationi Eccl. Noribergensi, quae ultimum habet locum, subscribere debent omnes ad officium sacrum in hac Republica vocati. Aliud exemplum suppeditat Incluta Ciuitas BRVNSVIGA, cuius *Ordinationi Ecclesiasticae* a. 1563. editae, atque Augustana Confessione, Apologia eiusdem, Articulis Smalcaldicis, atque Declaratione Luneburgensi anni 1561. de Corpore doctrinae (ideali) in iustam magnitudinem Corporis doctrinae auctae, vsque ad annum 1672. singuli Ecclesiarum huius Urbis Ministri nomina sua subsignauerunt. vid. HERM. CASP. KOENIGII *Bibliotheca Agendorum* s. *Catalogus Ordinationum Eccl. & Agendorum* a B. BOKELMANNO *Cellis collectorum* egregiis annotationibus Germanicis

cis

cis illustratus. p. 64. sqq. Quod superest Deum ter Optimum
 Maximum supplex veneror, vt υποτυπωσιν των υγιεινωντων λο-
 γων per hos aliosque Ecclesiarum nostrarum libros Symboli-
 cos ad finem vsque Mundi conseruare, atque per Spiritum S.
 in poenitentia, fide & charitate efficacem reddere benignissime
 velit in aeternam & doctorum & auditorum salutem per
 Dominum Nostrum Iesum Christum, cui fit laus
 & honor & gloria in secula
 seculorum!





Επιμετρον.

Prorsus Symbolicus aliquandiu in quibusdam Ecclesiis Hohenlohicis erat, h. e. a Ministris Ecclesiarum subsignabatur, liber auctoritate Piissimi i Comitis WOLFGANGI conscriptus, atque Francofurti a. 1605. in 4. sub tit. *Gründlicher Bericht* &c. editus, qui copiose describitur a laudato supra WIBELIO lib. cit. p. 629. sqq. & p. 638. ab Andr. Osiandro appellatur *Hobenloicum Corpus doctrinae*, nimirum in significato rariori II. quem §. IV. supra explicauit. Causis abrogationis eiusdem sine dubio etiam haec accenseri debet, quod, quamuis phrasibus quibusdam incommodis oppositum fuerit scriptum hoc, & veram praesentiam Corporis & Sanguinis Christi recte exponat, ipsum tamen & in Praefatione B. 2. sqq. & in libro ipso p. 6. sqq. phrasibus talibus utitur, quae communicationem idiomatum diuinorum cum humana Christi natura tollere videntur, dum naturam Christi humanam organon appellat, per quod Filius Dei idiomata sua diuina manifestat atque exerit; eadem ratione, qua aeternus Dei filius in se humanae suae naturae res omnes proxime praesentes sistit, ipsam etiam naturam ipsius humanam rebus omnibus praesentem esse statuit; & inuisibilem praesentiam humanae Christi naturae in his terris, sub limitationibus quibusdam, negat; quae quidem cum Formula Concordiae, in Corpus doctrinae Hohenlohicum recepta, & stabilita in hac tertio genere Communicationis idiomatum, conciliari vix ac ne vix quidem possunt.



In!

39

Hinweise

Signatur 7. A. 2410	Stok P
------------------------	-----------

RS

Bub

AK

Titelaufn. AKB

SWB ere. MAS

FK

Bio K

Bild K

SWK

Sonderstandort

Signum

Ausleiher-
vermerk

7. A 2410

